

cursu de Patre Abrahamo gloriari, *Matth. 3, 9. Job. 8, 39* Non de piis, quia verisimile non est, quod Israelitæ verè fideles ac pœnitentes negent, se ab Abrahamo pro filiis agnosci, cum se filios Dei vocare non erubescant. (2.) Multa fluere ex adversariorum interpretatione, quæ ipsis contrariantur. 1. Abrahamum & Israelem erga posteros suos duriores fuisse, quam Deum. 2. Peccatores etiam gravissimos posse sine Mediatoribus Sanctis recta ad Deum accedere. 3. Illos omnes, in quorum personâ loquitur Esaias, fuisse indignos sanctorum cura & dilectione &c.

25. *An creatura possit consecrari?*

R. Aliud est consecratio verbo consona, quæ fit per verbû & preces, *1. Tim. 4.* Sic res, quæ in se bonæ sunt, ut nobis bonæ sint, & ad certum usum destinantur, & Deo probentur, consecramus, ut personas Ecclesiasticas, loca sacra, templa, oratoria, cœmeteria, elementa terrena sacramentis destinata, ut & in loco de Sacramento in genere monuimus. Præterea est consecratio superstitiosa & idololatrica, quam per oleum chryisma, cereas, crucem, candelas, & id cætera, promovent Papæ satellites coaxantes, quæ aspernanda, & de quâ de Sacramento in genere, sub quæstione de extrema unctione, item in loco de Baptismo in fine, sub quæstione de aqua lustrali.

26. *An Oratio præcepta sit in Decalogo?*

Resp. Sanè. Nam pertinet ad præceptum primum, secundum, tertium, quartum. Vide quæstiones de primo præcepto.

27. *An fiducia nostræ dignitatis, aut meriti, Deus sit precandus?*

Neg. quia nulla nostra dignitas, nulla merita.

28. *An Christus sit invocandus in nomine Mediatoris?*

Aff. Debemus enim Christo æquè præsentare meritum ejus in precibus nostris, atq; Patri & Spiritui S.

29. *An vota illegitima sint servanda?*

Neg. Quia nullam habent vim obligandi conscientiam.

## IN LOCO

# DE ORATIONE DOMINICA.

## THEOREMATA.

1. **O**ratio Dominica meritò appellatur epitome Orationis, & oratio orationû, singularis oratio, teste Hieronymo & Luthero, quæ habet  
qua-